

trop. cap. XXIII. et lib. X. Saxon. cap. V. et qui hoc scribit libro VIII. metrop. cap. XXXIX. sub Rudolpho I. cum Trajecti juvenes, puellæ viri et feminæ choreas ducerent in ponte frequentes, et venerabile Christi sacramentum deferretur nec illi prosternerentur intenti vanitatibus, mox ponte decidente ducentos prope mortales periisse.

III. Cæci et stulti sunt aleatores et lusores. Tales enim primo, perpetuo ut luna mutantur, nunc lætantur, nunc tristantur, nunc præsumptione extolluntur, nunc desperatione et pusillanimitate dejiciuntur, nunc chartas dentibus lacerant, (quo modo canes morsu appetunt lapides) Deum et sanctos blasphemant, quasi in rabiem versi sint; chartas ipsas execrantur, cum sibi potius irasci deberent.

Secundo, substantiam suam tot laboribus et difficultatibus partam fragili fortunæ credunt, et uno interdum jactu perdunt, ac quandoque eo deveniunt ut vestes ipsas exuant et alæ committant.

Tertio, cum possent esse quieti et sine sollicitudine, curas et sollicitudines quærunt. Quis enim nescit lusores perpetuo timere jacturam rerum suarum, pro quibus ludunt? Perdere enim nulla delectatio, sed potius amaritudo est.

Quarto, dum ipsi luero modico inhiant, interim longe plus perdunt, et spoliantur a dæmone. Perdunt pretiosum tempus, quod ipsi, ut dietitant, fallere volunt, quasi per se non fugiat: perdunt amicitiam et charitatem proximorum per jurgia et lites, quæ communiter inde oriuntur, etc.

Denique, isti omnes cæci et stulti sunt, quia novissima suarum stultitiarum non prævident. Profanas enim horum computationes, lusus et choreas sequetur aliquando mirabilis computationio, lusus et chorea, in Luciferi taberna. Ibi enim: *Fel draconum vinum eorum*, Deut. XXXII. item: *Ignis et sulphur et spiritus procellarum, pars calicis eorum*, Psal. X. Bibitur hic ad fundum, sic etiam bibetur ibi, sed fundus non reperietur, Psal. LXXIV. *Verumtamen fæx ejus non est exinanita*. Hic conjuratur in societatem: *Keiner von anderen*, inquit. Et ibi quoque conjurabuntur, ut ne unus quidem ab altero separari queat. *Quia sicut spinæ se invicem complectuntur, sic convivium eorum pariter potantium: consumetur quasi stipula ariditate plena*, inquit Nahum, c. I. Hic ocludi solet janua detrectanti respondere poculis: et ibi ocludet januam Lucifer donec ebibatur æternitas pœnarum.

Secundo, lusores ibi ludent ludum illum, qui ad infernum ducit, quia nunquam perveniunt ad terminum inferni. Ibi enim: *Miseris erit mors*

*sine morte, fides sine fide: quia ibi mors vivit et fides semper incipit*, ait S. Gregor. X. moral. cap. XLVIII. Ibi subinde novi et diversi proponuntur eis ludi. Primo, alearum ludus, quia ita cædentur flagellis et scorpionibus: ibi ludus chartarum, quia vermis eorum non morietur, sed perpetuo rodet eos, ut semper inquieti hac illac sese vertant: ibi ludus latratorum, siquidem ibi verberibus affatim tundentur. Et quamdiu durabunt ictus illi? Quamdiu ipse Deus. O æternitas quam longa es!

Denique, chorea ibi erit terribilis. *Transseat* (damnatus) *ab aquis nivium, ad calorem nivium*, ait Job, cap. XXIV. Ibi musica erunt væ et lamenta, rugitus leonum, latratus canum, ululatus luporum, etc. De Herodiadis filia saltatrice narrat Nicephorus, lib. I. cap. XX. eam cum aliquo ire tempore brumali et glaciem transire deberet, rupta subito glacie in aquas incidisse capite tenuis et in iisdem, vindice Deo, saltasse; caput etiam ejusdem glaciei crustis resectum in glacie simili modo saltitasse. Quid si hæc ipsa pœna expectet in inferno saltatores? Ergo saltem in puteum inferni inspiciant potatores, saltatores, lusores, et ibi se contueantur, quales aliquando futuri sint. *Utinam saperent et intelligerent, ac novissima providerent!* ait Moyses, Deut. XXXII. Utinam clamarent cum cæco hodierno: *Domine ut videam*; quæ ibi pœnæ expectent reprobos. Ibi enim: « Continuus erit, (inquit Sanctus Cyprianus, in tract. de ascensione Domini) et superfluis illarum lacrymarum decursus, stridorem illum deatium flammæ inextinguibiles agitabant: immortales miseri vivent, incendia et inconsumptibiles flammæ nudum corpus allambent, ardebit purpuratus dives, nec erit qui æstuanti linguæ stillam aquæ infundat: in proprio adipe frixæ libidines bullient, et inter sartagine flammeas miserabiliora corpora cremabuntur, et omni tormento atrocius desperatio condemnatos affliget: non miserabitur ultra Deus: nullum ibi refrigerium, nullum remedium. »

### CONCIO III.

CAUSÆ CÆCITATIS SPIRITUALIS, QUÆ EST  
INCONSIDERATIO NOVISSIMORUM.

I. Dæmonis calliditas. — II. Incredulitas hominum — III. Philautia seu amor sui ipsius. — IV. Præsumptio. — V. Metus tristitiæ. — VI. Supina salutis negligentia.

#### THEMA.

*Domine, ut videam.* Luc. XVIII.

Non minima Ægyptiorum plaga fuere tenebræ

adeo densæ, ut palpari possent, et nemo videret fratrem suum: quæ quidem durarunt tres dies et noctes (ut ostendit Cornelius a Lapide, in cap. X. Exodi) et denotabant cæcitatem mentis Pharaonis et Ægyptiorum, ut ait Origenes, qui tot plagas experti, Deo tamen credere et imminenter sibi cladem providere noluerunt. Non valde aberraverim, si has tenebras triduanas bacchalia nostra dixerim, ubi triduo vix agnoscuntur homines, partim ob vultuum transformationem, partim ob stultitiam et dissolutos mores; dum homines ita vivunt, quasi nihil prorsus scirent de morte, judicio et inferno. Et hinc, arbitror, legit hodie Ecclesia evangelium de cæco juxta Jericho, nam cæcus hic sedens secus viam prope Jericho, quid nisi cæcum mortalium genus designat, sedens secus viam salutis juxta fatuum hunc mundum? (Nam Jericho lunam significat ex Gregor. hom. in hodiernum evangelium, et stultitiam repræsentat.) Cæcitas autem ista potissimum est, inconsiderantia novissimorum: ut licet mortem ac judicium certo nobis subeunda esse sciamus, ad ea tamen nos non præparemus. Item cum infernum destinatum esse peccatoribus sciamus, eum tamen non metuamus, sed hilariter in omni vitiorum genere volvamur ac secure dormiamus. Qua calamitate quæ potest esse major? Et quidem si ullo alio tempore, hoc maxime excæcantur homines: ita ut dicere liceat cum Sapiente: *Stultorum infinitus est numerus*. Quomodo enim homines nunc ita insanire, bacchari et vitulari possent, si novissima considerarent? Unde Moyses: *Genus absque consilio est*, inquit, *utinam saperent et intelligerent ac novissima providerent!* Deut. XXXII. Sic enim sperabat populum suum ab inepta et damnata peccandi insaniendique libidine illico cessaturum. Ac propterea forte Ecclesia die cinerum hanc hominum cæcitatem abstersura, cinere, qui mortis memoriam ingerat, conspergit eorum capita; ad exemplum videlicet Christi, qui alibi cæcum luto super oculos imposito curavit. Sed nunc causas hujus miræ cæcitatibus indagemus.

I. Dæmonis calliditas et indefessum studium, cui nihil magis curæ est, quam ne homines memorentur novissima sua; idcirco omnia ea ab oculis eorum removet, quæ novissimorum memoriam ingerere illis possunt, atque ita excæcat illos. Novit enim maximam esse vim memoriæ illius. Refert Plinius, lib. VIII. cap. XVI. Getulum pastorem sub Claudio imperatore irruenti in se leoni pallium injecisse, eoque facto torpuisse leonem et trepidum substituisse, eodemque spectaculo in arenam deducto deprehensum esse, vim omnem leoni in oculis esse, quibus velatis

imbellem fieri et facile ligari. Novit etiam dæmon quanta sit vis in oculis humanis, cum illi novissima considerant, idcirco laborat imprimis, ut oculos homini velet, hoc est, novissimorum intuitum eximat: sic enim ei facile torporem subrepturum et vincula injici potest. Nonne leo erat Samson, qui dum oculatus erat, non modo superari non poterat, sed plurima insuper damna Philisthæis inferebat? Ast ubi ab illis exoculatus fuit, molam trahere debuit et coram illis adductus ludebat, Jud. XVI. Ita qui novissima non curat, facile in circuitu vitiorum ambulat, quod videns nunquam faceret; tuncque ludere etiam incipit, id est, exultare in rebus pessimis, illudere salutare monitiones, contemnere et ridere minas, bacchari, etc. Unde dæmon suadet fugere et negligere conciones, legere libros obscenos, adire profana spectacula, convivia frequentare, non aspicere funera nec comitari, etc. Simili astu volebat Avenir rex compescere filium Josaphat, ut a fidei susceptione (quam prædictam ei sciebat) impediret et sæculo educaret. Objecit enim ei puellas et quidquid recreare animum poterat, cavito vero monstrari tristia, ut funera, decrepitos, morbosos, etc. Et quidem facile obtinisset quod desiderabat, nisi S. Barlaam sapientiore astu ad filium venisset, eique novissimorum memoriam insinuasset; quo facto mutatus in alterum virum est et fide suscepta sanctissimam vitam egit. Sic dæmon hominibus, quos sensibus maxime et præsentibus rebus duci novit, læta ingerit et præsentibus inculcat voluptates (quasi tubo dioptrico recto, qui omnia repræsentat magna et vicina) tristia vero removet et futura tamquam longissime posita, et alterius conditionis aut velut nunquam eventura (quasi tubo inverso, qui omnia repræsentat parva et tamquam remotissima.) Denique, sicut hirundo calido suo stercore excæcavit Tobiam; sic dæmon homines, dum ingerit eis præsentium bonorum fœdam et fluxam consolationem. At quæ tandem stultitia est pati, ut eruantur aut obvelentur tibi oculi? Certe Josaphat quem diximus, nequaquam patiebatur se includi, sed quandoque exire ad homines et fortunas eorum indagare voluit; hinc videns forte decrepitum aut leprosum, sedulo inquirebat quid sibi miseria eorum vellet, et inde veram philosophiam edoctus est. Quod et nobis faciendum: audiendæ conciones, legendi libri, spectanda funera et reorum supplicia, visitandi infirmi, etc.

II. Incredulitas. Cum enim videant se flagitiose vivere, intelligantque ex præscripto doctrinæ catholicæ, sibi nisi peccata desleant, etc.



fitentur et deserant, æterna esse subeunda supplicia, nolint tamen acerba pœnitentiæ remedia subire et vitam emendare, hoc ineunt consilium compescendæ conscientiæ, ut sibi persuadeant falsam esse doctrinam Ecclesiæ, de iudicii severitate et gehennæ æternitate. Atque ad hoc confirmandum facile sibi inveniunt argumenta. Quomodo enim misericordissimus Deus, inquiunt, pro uno vel paucis peccatis pœnas æternas infligat? Quomodo tam innumeros mortales, qui pene omnes peccatores sunt, perdere queat? Nil aliud igitur sunt ista, nisi concionatorum terculamenta et nil ad nos spectant. Commoventur quidem interdum tristi aliquo casu aut morte sociorum et exhorrescunt: sed mox subit illis pristina incredulitatis cogitatio et timorem cito deponunt, sicut cum sus jugulatur, et grunniunt aliquantisper alii, qui vociferantem audiunt, porci, et cibum præ metu deserunt: sed jugulato illo, metum ac grunnitum ponunt et ad pabulum revertuntur.

Sed si perpendere istam quam gravis et periculosus morbus sit peccatum, non difficile sibi persuaderent, deberi ei supplicia æterna, licet totus mundus eo infectus esset. Tanta est peccati gravitas, quantam animus noster complecti nequit: quod vel ex eo patet, quod ad abolendum illud Dei Filius e cœlo debuerit adduci. Cum aliquem ita ægrotare audimus, ut iis, qui in urbe sunt, medicis non contentis, etiam in alienas terras mittat et undique peritissimos archiatros ex distantissimis locis accersat, pretiosissimis etiam medicamentis, quæ in remotissimis tantum habeantur terris, utatur: annon iudicamus eum periculosissime laborare? Quid igitur de peccati morbo sentiemus, ad cuius curam nullus totius mundi medicus poterat sufficere, sed e cœlo adduci Dei Filius debuit, qui et pretiosissimam medicinam ex ipso corporis sui sanguine debuit conficere?

III. Philautia longam sibi promittens vitam. Ex hac ortum ut gentiles quidam, teste Aristotele, III. moral. res præclare gestas sibi attribuerent, flagitiorum vero et scelerum, quæ committebant, omnem culpam in externam quamdam causam rejicerent. Itaque si bene quid egissent, præmiari volebant; si male, pœnam luere nullam volebant. Ex eadem radice orti quidam Christianorum scriptorum errores sunt, quos refellit S. August. I. XII. de civit. Alii enim nullas pœnas æternas christianis catholicis tametsi morientibus in peccatis lændas asserebant: alii hereticos etiam, qui aliquando catholici fuissent, ab æternitate inferni eximebant: alii neminem baptizatum sive catholicus foret sive hæ-

reticus, perpetuo damnandum existimabant: alii insuper dicebant post extremum iudicium omnes omnino sive fideles, sive infideles esse liberandos adeoque salvandos, sive suis ipsorum meritis, sive aliorum suffragiis: alii denique non hominibus tantum, sed dæmonibus quoque infernum, imo et cœli januam aperiebant. Hi errores omnes ex philautia profecti miseros illos excæcarunt. Estque hæc philautia, quæ sequitur rationem insufflando ei nequissimas reprobationes, quæ multos perdunt; ad instar videlicet Petri, qui sequens Christum et audiens eum de passione sua terribilia prædicentem, dicebat: Domine, non erit tibi hoc. Sed respondit Christus: Vade post me Satana, non sapis ea, quæ Dei sunt, Matth. XVI. Ita cum ratio cogitat: En quam cito consenuisti? Quam cito transeunt dies tui? Quam festinas ad mortem? Quam parum inde habes? Quid si in hac dissolutione pergens repentina obruaris morte? En quam cito iste sublatus est? Annon idipsum tibi quoque evenire potest? Quid si in juventute? Quid si hoc anno moreris? Objicit philautia: Nequaquam morieris: Non erit tibi hoc. Sed quid accidit illi diviti, qui dicebat: Anima, habes multa bona reposita, in annos plurimos, etc? Annon audiit: Stulte hac nocte animam tuam reperit a te? Luc. XII. Annon quotidie fere cernimus multorum interitus repentinos et improvisos? De hoc arguitur Babylon, Isa. XLVII. cum dicitur: Dixisti: In sempiternum ero domina, non posuisti hæc super cor tuum, neque recordata es novissimi tui: et Isa. XXVIII. dicunt reprobi: Percussimus fœdus cum morte, et fecimus pactum cum inferno, sed: Repromissio nequissima multos perdidit, ait Sapiens, Eccl. XXIX.

IV. Præsumptio de divina misericordia. Dicunt enim latronem in vitæ ultima periodo veniam invenisse, pacem hominibus bonæ voluntatis esse promissam, bonam voluntatem et dolorem de peccatis facile comparari. Item Deum ad miserendum esse propensorem quam ad puniendum, cœlum fecisse pro hominibus non pro anseribus, etc. Faciunt isti sicut luronem illi, qui tametsi norunt parum sibi esse pecuniarum, splendide nihilominus in tabernis epulantur et bibunt secure, quod confidunt hospitem pro ipsorum arbitratu et egestate rationes exacturum, eaque, quæ absumpta sunt æstimaturum, præsertim quod dum epulantur, vident hospitem lætum, sibi blandientem, arridentem et animos addentem. Sed falluntur miseri; in discessu enim et computatione reperiunt hospitem austerum et totum a se alium, qui et care computet et nullam solutionis moram det, sed vel pallio

eos enudet, vel in vinculis retineri faciat. Ad eundem modum cæci mortales, quia vident hic Deum divitem in misericordia, tametsi sciunt nihil aut parum sibi esse bonorum operum, multum autem malorum, putant nihilominus Deum pro ipsorum arbitrio rationes exacturum et vel omnia condonaturum, vel parum pro toto accepturum. Sed falluntur et ipsi. Audi Job, qui licet magnus Dei amicus esset, dicebat tamen: Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti, cap. IX. Quemadmodum enim rex non modo non pareit illi, quem supra modum exaltavit, postea tamen nihilominus rebellem habuit, sed multo amplius irascitur; ita etiam Deus. Quis nescit Josepho patriarchæ herum Putipharem, postquam ad eum delatus est, etsi falso, de attentata uxore, factum esse infensissimum, ita ut non modo eum ab officio removeret, sed etiam in terrimum carcerem includeret? Gen. XXXVII. et XXXIX. Num angelis peccantibus pepercit Deus? Imo num Filio suo, qui peccati tantum larvam amore nostri induerat? Minime vero. Vana est igitur hæc præsumptio. Nam sicut Deus infinitam suam exhibuit potentiam in mundi creatione, infinitam sapientiam in mundi gubernatione, infinitam misericordiam in mundi redemptione; ita exhibebit infinitam quoque justitiam in mundi iudicatione.

V. Metus tristitiæ et melancholiæ, si nimirum novissima semper præ oculis haberent. Similes hi sunt Julio Cæsari, qui interrogatus, quod genus mortis optaret: Inopinatum, respondit, teste Plat. in apophth. Idque ei contigit, quod optimum iudicabat, dum in senatu viginti tres vulneribus confossus est. Assentire Cæsari, ni post hanc vitam restaret anceps alia. Sed vir christianus, nisi cæcus, assentiri nequit. Hoc enim est differentiæ inter mortem improvisam et præmeditatam, quod illa hominem nihil cogitantem, quasi a tergo adoritur, atque in miserias intricabiles conjicit; hæc vero coram oculis invadit, hominemque cautum facit ad se tuendum et invenit præparatum minusque lædit; siquidem tela prævisa minus feriunt, quando videlicet si non omnino, saltem ex parte possunt. Ut ergo fur, qui in carcere adhuc detinetur, potest utiliter cogitare de mediis suæ liberationis, non ita vero cum jam ad supplicium rapitur; sic prudentissime faciunt, qui novissima præ oculis semper habent: per hoc enim assequuntur, ut ea sint ipsius initium vitæ beatoris. Cogitatio novissimorum tristitiam quidem affert et metum mortis ac iudicii, sed non accelerationem, quæ suum cursum tenebunt, quidquid tandem cogi-

tes, instar navis, quæ progreditur, sive dormias sive vigiles. Tristitiam item affert, sed non perpetuam nisi illis, qui mundi voluptatibus immersi sunt; cæteris enim suavem affert somnum et desiderium quale apostolo dicenti: Cupio dissolvi et esse cum Christo. Proinde tales lætantur et canunt cum cyeno morituro et Davide: Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: In domum Domini ibimus. Denique, tristitiam quidem affert, sed salutarem; de qua II. Cor. VII. ait apostolus: Si contristavi vos in epistola, non me pœnitet, etc. Nunc gaudeo: non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam. Modicam hanc et momentaneam tristitiam sequitur æternum gaudium juxta id Domini: Mulier cum parit, tristitiam habet, etc.

VI. Mera et supina quidem negligentia, quæ arguitur Isa. XLVII. cum dicitur: Non posuisti hæc super cor tuum, neque recordata es novissimi tui, q. d. noluit minimum hunc laborem suscipere, ut quod ante oculos quotidie tibi obversatur, poneret super cor tuum per seriam considerationem. Sic quotidie moriuntur homines, inquit Augustin. I. L. hom. XXVIII. et qui vivunt, deducunt illos, exæquias celebrant et vitam sibi promittunt. Nemo dicit: Corrigan me, ne cras hoc sim, quod iste, quem deduci. Moriuntur circum nos undique amici et vicini nostri: quotidie pedibus terimus in templis sepulera mortuorum, nec tamen cogitamus, brevi nos illis similes futuros. Dolendum profecto non tantum esse providentiæ in hominibus, quanta cernitur in ipsis bestiis. Echinus Martinus vilis et despectus pisciculus, procellam mari præsentit, ideoque ea ingruente calculum arripit validum ac velut saburam vehit, eoque velut anchora se firmat ne fluctibus excutatur, ut scribit S. Ambros. I. V. hexam. c. IX. Quo indicio nautæ signum futuræ perturbationis capessunt et sibi præcavent, ne eos imparatos turbo improvisus ocepset. O improvidi mortales, cur non simili modo ultimam tribulationem in vos paratam præsentitis? Cur non saltem uti nautæ ab hoc animaculo discitis? Cur non illam terræ massam, qua aliquando operiemini, per seriam cogitationem apprehenditis, ut ne fluctibus illius procellæ in gehennam excutiamini? De populo Judaico querebatur olim Dominus, Jer. VIII. Milvus in cœlo cognovit tempus suum, turtur et hirundo et ciconia custodierunt tempus adventus sui; populus autem meus non cognovit iudicium Domini. Utinam in solos Judæos, et non etiam in nos hoc dictum esset. Norunt volucres illæ stata sua tempora, quibus ad nos veniant, quibus et recedant: tempore verno veniunt, blando nimirum et commodo ad nidificandum